

UM
RUM
E
EINZIA
UM



DIVITIARUM
EVANGELICARUM
FESTIVALIUM

Disquisitio V

PRÆSIDE

CHRISTIANO GUEINZIO

Gymnasii Hallensis

Rectore

Respondente

CONRADO GEWILLETO

Calbâ-Marchico.

In Festo Epiphaniæ.

A.O.R. cl. lxx. III.

HALLIS SAXONUM.

Prelo Hæredum Melchioris

Oelschlegelij.

Melchior H. Dan

DIVITIARUM
EVANGELICARUM
FESTIVALIUM

Disquisitio V

PRÆSIDII

CHRISTIANO GUEINZIO

Gymnasii Hallensis

Rectoris

Respondens

CONRADO GEWILLETTO

Calis-Matrico

in festo Epiphaniae

M.D.C.C.LXXIII

HALLIS SAXONUM

Abbas Heredes in Melchioris

Oestlingensis



ANALYSIS

EVANGELII

IN FESTO

EPIPHANIORUM.

Matth. 2. à v. 1. usq. ad 13.

ANTIPAGMENTUM.



*R*egina Arabia, uti testatur Spiritus S. I. Reg. 10. profecta ad Salomonem legitur. Et ecce plus quàm Salomon est Iesus Christus: Quid mirum igitur, si quoq. Reges ad ipsum profecti legantur, secundum vaticinia? Esa. 60, 6. qua tùm temporis maxime impleta cognoscuntur, ubi Magi ad Christum accesserunt, & dona obtulerunt sua: quemadmodum uberius illud ipsum docetur in hodierno Evangelio.

T H E S I S I.

In quo habetur eorundem Hierosolymam versus migratio: ubi notandus est

H

tum

tum eorum adventus, qui describitur ratione profectiois v. i. In quo circumstantia in genere temporis: quum natus esset Jesus. *Cum enim nascitur, ait Chrysol. term. 156. oritur origo rerum, generatur largior generis, nascitur Autor natura, ut repararet naturam, genus redderet, originem recrearet: unde multa facta sunt, que predicta, etiam que antea non audita. Angeli de celo annunciant gaudium, pastores divulgant visum puerulum; siquidem impleta que predicta per Gabrielem, & quibus non est narratum, viderunt, & qui non audierunt contemplati sunt, inquit Esa. 52, 15. Ut discamus certitudinem vaticiniorum.*

2. In specie tum loci: in Bethlehem Judææ. *Quia etiam alia Bethlehem fuit in Galilea sita in tribu Zabulon, Jos. 19, 15. Hæc verò in tribu Juda, ejusq; metropolis erat; dicta alias ob accidentem frugum ubertatem Ephrata, Gen. 35, 19. Atqui ita genus vocatur, ut promissionis fides, ut prophetia veritas impleatur, ait Chrysol. d. 1. & cum Bethlehem, quod habet Theoph. in Masth. explicetur, quod idem, quod domus panis, Iudea autem confessionem significet: Ut nos nunc per confessionem fiamus domus panis spiritualis.*

3. Tum

3. Tūm Domini: in diebus Herodis.
 Qui cognomento Magnus dictus, natione Idu-
 usæus, Antipatri filius, creatus à Senatu Ro-
 mano primus Rex Romano Iudæus. Quid ve-
 ro est, quærit Chrysol. serm. 156. quòd tem-
 pore Regis nefandis? Deus descendit ad terras?
 miscetur divinitas carne, sit terreno corpori cœ-
 leste commercium? Quid est? & quare non
 verus rex expulsurus tyrannum, vindicatu-
 rus patriam, instauraturus orbem, libertatem
 redditurus adventat? Herodes refuga gen-
 is Iudaicæ, invasit regnum, libertatem
 sustulit, profanavit sancta, confudit ordi-
 nem, quicquid disciplina, quicquid cul-
 tus erat abolevit. Merito ergò genti sancta,
 quia humana desunt, divina succurrunt, & ad-
 est Deus ipse, cui homo non erat, qui adesset.
 Sed nondum intelligunt, addit Leo ser. 5. su-
 per Epiph. c. 2. quòd negare non possunt, &
 mente non capiunt, quòd Scripturarum nar-
 ratione noverunt; quoniam insanis Magistris
 veritas scandalum est, & cæcis doctoribus fit
 caligo, quòd lumen est. Meminit itaq; Hero-
 dis, ut tu discas, quòd defecerint à Iuda re-
 ges & principes, & necessario venerit Chri-
 stus.

4. Forma, ubi præmittitur vox atten-

H 2

tionis:

tionis: Ecce! Ut eò diligentius observaremus novum aliquod adesse.

5. Et exponitur tùm subiectum, quo ad titulum: Magi. Qui non quidem malefici & prestigiatores, uti Augustinus censuit serm. 2. Epiph. qualis etiam Magus Act. 8, 9. & Elymas Act. 13, 8. Tales enim vix Christum quærerent, aut quæsum invenirent, aut inventum adorarent, aut angelum monitorem haberent. Potius fuerunt viri siderum inspectionibus assueti, qui arte Mathematicâ vim, discursumq; noverant planetarum, & ex elementorum natura rationem temporum metientes, quemadmodum habet Cyprianus de stella & Magis, ministeria certis experimentis propriis didicerant effectibus assignata, qui & reges secundum consuetudinem Persarum, sæpius electi, uti habet Strabo l. 16. licet non tales, quales nostro seculo.

6. Quoad locum: ex Oriente. In quo talis consuetudo, ut ex iis reges eligerentur. Neq; enim ad sceptrâ admittebantur, nisi essent apud Magos informati. Uti & Plato in Alcibiade meminit, quod quatuor dicantur regis alicuius Persici Magistri, quorum primus sapientissimus, secundus iustissimus, tertius temperantissimus, quartus fortissimus. Et
quam.

93

quamvis terminus, unde venerint, expressè nō
addatur, tamen colligitur, respectu Hierosoly-
morum ab Oriente venisse. Pleriq; colligunt,
cū Magus sit vox Persica, etiam ex metro-
poli Persiæ Susa, quæ versus Orientem ab Hie-
rosolymis sita, venisse; & cū Susa Acade-
mia, cui Daniel præfectus, ex eo de tempore ad-
ventus Messia, dum Daniel constituat 7. heb-
domadas annorum, aliquid cognovisse. Ab
Oriente autem meritò veniunt, habet Bernh.
serm. 3. in Epiph. qui solis justitiæ nobis or-
tum annunciant, qui latissimis rumoribus totum
mundum illuminant, nisi quòd infelix Judæa,
quæ lucem oderat, ad fulgorem novæ clarita-
tis obtenebratur, & caligantes oculi ejus corru-
scente radio solis æterni magis excœcantur.
Nunc ergo charissimi, ait August. serm. 30.
de Temp. gratia filii & hæredes, videte voca-
tionem vestram, & manifestato Judæis & gen-
tibus Christo tanquam angulari lapidi perse-
verantissima dilectione coherete. Manifesta-
tus enim est in ipsis cunabulis infantia sua his
qui propè, & his qui longè erant: Judæis in pa-
storum propinquitate, gentibus in Magorum
longinquitate.

7. Prædicatum, quoad modum: Ac-
cesserunt. Hoc est, venerunt ab oriente ad

orientem, habet Chrysoft. ser. 156. Magi, ut
 susciperet venientes ipse, qui iusserat, ut veni-
 rent. Pastores illo ipso die, quo natus est, vene-
 runt; isti Magi hodie ad Deum venisse credun-
 tur. Manifestatus ergo est, nec illis doctis, nec
 istis iustis. Prævalet namq; imperitia in rusti-
 citate pastorum, & impietas in sacrilegiis Ma-
 gorum. Virosq; sibi lapis angularis ille applicu-
 it, quippe qui venit stulta eligere, ut confunde-
 ret sapientes, & non vocare iustos, sed peccato-
 res, ut nullus magnus superbiret, nullus infirmus
 desperaret. Quando verò venerint, non expres-
 se habetur in Scriptura: interim probabilis est
 sententia, ante purificationis tempus ipsos ve-
 nisse: cum scriptura 1. dicat *יָוֹנִי יָבֵט* & In *צֶבֶד*,
 quæ vox de puero recens nato, Hebr. II, 23. in-
 telligenda. 2. Quia turbata Hierosolyma, tan-
 quam re inaudita & novâ. At post purifica-
 tionem Simeonis & Hanne testimonium erat.
 3. Quia post purificationem non in Bethlehemi
 sed in Nazareth demigrasse leguntur, Luc.
 2, 39. & tamen invenerunt ipsum in domo, ubi
 natus, habet textus.

8. Quoad locum: Hierosolymam.
 Quia Hierosolyma, in toto terrarum orbe, præ-
 cipue in Chaldaea & Persia propter captivita-
 tem Babylonicam, nota erat: quæ alias diceba-
 tur

95

tur sanctissima. Propterea arbitrati, se inibi inventuros esse novum Regem, ut sciret tota Ecclesia, non tantum esse Iudeorum, sed etiam gentium Regem.

9. Et ratione inquisitionis v. 2. In quo forma: dicentes, ubi est natus Rex Iudeorum? Inquirunt vel per semetipsos, vel per interpretem. Non quod à Iudeis expectetur, neque querunt, utrum natus? fiducialiter loquuntur, & interrogant, inquit Bernh. serm. 3. super Epiph. ubi sit, qui natus Rex Iudeorum. Quam certa ergo fides & nihil penitus hesitans. Atque ista fides Magorum condemnatio Iudeorum est. Illi uni Propheta suo Balaamo crediderunt, isti tot credere noluerunt, habet Chryost. hom. 42. in Epiph. illi confitentur credere alienum, isti proprium non agnoscunt. Propterea non rex gentium sed Iudeorum, ab iisdem gentibus agnoscebatur, habet August. serm. 31. de tempore, quia oleaster ad olivam, non ad oleastrum oliva veniebat. Inde Chrysol. serm. 156. inquit: Non interrogant, sed insultant, quando scientes interrogant, nescientes non ignorant, sed negligentes arguunt, increpant ac fides malos prociunt, contumaces verberant, servum Domino non occurrisse causantur. Nam quid ab hominibus querunt, qui per De-

um noverunt, quod querebant? ut, quid illis ad hoc humane demonstrationis officium, quibus ad hoc cœli sydera serviebant? quo illis lucerna templi, quibus cœli sydus mirabile perlucebat? ubi est qui natus est? hoc est dicere: cur rex Iudeorum in præsepi jacet, & non decumbit in templo? cur non fulget in purpura, sed squalet in pannis? cur latet in specu, & manifestus in sanctuario non habetur? Neq̄, querunt de postulato, quales Saul & David; neq̄, de creato & dato, qualis Herodes, sed de nato. At, inquit August. serm. 34. de temp. nonne alii Reges jam toties in Iudæa nati erant? quid est quod iste ab alienigenis in cœlo agnoscitur, in terra queritur, in alto fulget, in humili latet? Ut discamus etiam inquirere Christum, & quidem ubi ministerium ordinarium; non in platea, ait August. serm. 43. ad fratres in erem. ubi magna vanitas, querendus Christus; non in foro, ubi grandis adversitas: querendus est, sed non in seculari curia, ubi maxima falsitas; querendus est, sed non in taberna, ubi summa ebrietas; querendus est Christus, sed non in scholis mundanorum Philosophorum, ubi est iniqua perversitas: querendus, non cum luxuria, in qua lata deformitas; non in qua jacet æterna calamitas; non cum avaritia, in qua est idolorum servitus, & æterna infelicitas.

98
ratore, sed ab auctore; non quæ daret ortum, sed
quæ sustineret occasum; stellam non legife-
ram, sed signiferam; ferentem non dierum or-
dinem, sed noctium lumē. Unde colligitur stu-
dium Astrologicum non esse planè, si sobriè tra-
ctetur, condemnandum, quia Deus sidera fecit,
ut sint signa diei & temporum, Genes. 1. 14.
Quamquam stella hæc Chrysof. docente,
hom. 6. non sit de cæteris, neq; secundum con-
sequentiam Astrologiæ puerum ostendat A-
strologia, adminiculum tamen externum fuit,
quò Deus statim intermedia superiùs auras
ipforum excitavit, ut non in tam consuetudine
& pulchritudine commoti, in natum Iudæo-
rum novum Regem inquirerent. Fuit nova &
inconsueta, & in nativitate Domini exorta
stella, uti habet Isidorus l. 1. 377. divini partus
magnifica, lingua cæli, Augustin. serm. 31. de
Temp. Non autem solus stella hoc fuit Ma-
gos inducere ait Chrysof. hom. 6. in Matth.
verùm etiam Dei, per quem illorum anima
commota, & profecto qui illos adduxit, ipse
etiam instruxit, ait Bernh. serm. 4. in Epiph.
Et qui per stellam foris admonuit, ipse in oc-
culto cordis edocuit, ut eos tanta visionis myste-
rium non lateret, & quod ostendebatur insoli-
tum, animis non videbatur esse obscurum, ait
Leo in ser. 3. in Epiph. c. 2. 12. Et

12. Et causa finalis: & venimus adorare eum. Nunquam autem hoc tanta devotione requirerent, ait Aug. ser. 31. de temp. tanto pietatis affectu desiderarent, nisi eum agnoscerent regem Iudaeorum, qui etiam rex seculorum. Et idem ser. 30. nec quoenquam eorum caelo loquente didicerant. Neq. enim de politica tantum adoratione intelligendum, sed de religiosa, uti ex subsequentiis patebit.

13. Tum eventus, qui describitur in genere, ratione conturbationis v. 3. In quo amplificatur respectu subjectorum, quoad individuum primarium: Audiens autem Herodes rex turbatus est. Arbitrabamur quidem Magi se gratissimum nuncium allaturos de ortu novi regis, sed turbatus est. Ac caeli Rege nato, inquit Greg. in princ. hom. 10. super Evang. rex terra turbatus, quia nimirum terrena altitudo confunditur, cum celsitudo caelestis aperitur. Verum quid times Herodes? inquit Augustinus de temp. ser. 36. quid maligna mente turbaris? si salutem tuam sapias, ille natus, per quem regnum Dei videas. Et quid ita de successore sollicitus? cui sidera militant, terreno imperio non tenetur, ait Chrysol. ser. 158. Sane sic venit regnare, addit August. l. 4. c. 4. symbol. ad catech.

ut te

ni te nolit excludere. Sed Herodes timuit propter seipsum, quia rex erat intrusus à Romanis, exosus propter tyrannidem.

14. Et quoad plura: Et omnis Hierosolyma cum eo. *Audito, habet Bernh. serm. 3. in Epiph. nomine regis rex Herodes successorem suspicatus expavit. Nec mirum si turbatur Herodes, sed quod Hierosolyma civitas Dei, quæ visio pacis, cum Herode turbatur, quis non miretur? Videte fratres, quantum noceat iniqua potestas, quomodo caput impium subjectos quoq; sua conformet impietati. Misera planè civitas, in qua regnat Herodes, quoniam Herodiana sine dubio particeps est malitia, & ad novæ salutis ortum Herodiana movebitur turbatione. Oportebat verò gaudere potius, quòd rex suus à Persicis regibus adoraretur, habet Theophyl. in Matth. Et Chrysol. serm. 158. Hierosolyma varia se contaminatione perfuderat, Sacerdotesq; profanaverat sancta, & peccata vendentes, in quæstam veniam, pietatemq; converterant: scribe doctrinam celestem, scientiam salutarè, vitale magisterium in suum sensum, in perfidia lapsum, in lethale vaniloquium commutarant. Hinc est quòd Christum nolunt nasci, vivere timent, quia novebant se ignomia dandos, trahendos opprobri-*

is, ejs-

is, ejiciendos templo, privandos sacerdotio, oblationū munere vacuandos. Semel enim cupiditate flammati, capti pompa, vitiis sauciati, vanitate ebrui, madesacti luxu, quia de correctione nihil cogitare poterant, de venia nihil sperabant. At si Hierosolyma, si rex, si scriba, si principes ad Christi sic turbantur infanriam: quid isti facerent, Christus perfectum, mox in hominem si venisset? si fult 9 divitiis & multitudine, si cum suspectis, si cum extraneis? quærit Chrysol. ser. 158. Unde habet Augustinus ser. 9. de Sanct. Ecce jacentem in præsepio pertimescit armatus, contimescit humilem rex superbus, obvolutum pannis metuit purpuratus.

15. Et respectu consultationis, ubi iterum notanda est quæstio v. 4. In quo effectus Herodis antecedens, quoad modum: & congregans omnes. Postquam enim perturbatus, non arbitratus sibi, & rebus suis consultum. si Magi in sua quæstione, vel inter vulgus errent, vel cum ipsis Phariseis consultant: cogit ipse concilium. Ut discamus, penes Magistratum esse synodos & concilia convocare, uti etiam fecit Hiskias 2. Paralip. 29. Iosias, 2. Paralip. 34.

16. Quoad subjectum: & principes Sacer.

Sacerdotum. Penes quos de rebus sacris erat respondere; nam ex labiis sacerdotum requirenda est scientia, Malach. 2, 17. Ut discamus, quamvis Herodes antea sacerdotes sustulerit; tamen coactum tandem eos congregare & consulere, uti etiam Saul, qui vivum Samuelem nolebāt audire, mortuum tandem ex sepulchro volebat revocari, 1. Sam. 28, 9. Tū enim deum intelligimus bona, cum, quae in potestate habuimus, ea amisimus.

17. Et scribas populi. Qui legem interpretabantur, Matth. 13, 12. Neq; enim illi omittenda sunt, ubi debet esse congregatio universalis. penes enim solos summos sacerdotes nō erat definire, sed requirebatur, uti etiam nūm, consensus & confessus totius Ecclesiae.

18. Consequens: & sciscitabatur ab eis, ubi nasceretur Christus. Inquirunt nimirum, quisnam locus nativitatis in Scriptura sit designatus Messiae. Et quidem diligenter querit, uti vox graeca innuit. Ut discamus etiā de Christo querere, potissimum non de rebus seculi, sed de rebus fidei. Atq; ita sine consilio Doctorum Ecclesiae, magistratui licitum non est differere in rebus spiritalibus.

19. Et responsio, quae continet loci allegationem v. 5. In quo est ejus denominatio:

natio:

natio: At illi dixerunt ei, in Bethlehem Judææ. Hoc est illud Bethlehem, quod in tribu Iuda situm est. Jud. 17, 7. Siquidem ita, ut ex sequentibus patet, prædictum. Ut discamus rationes discutiendarum controversiarum è scriptura depromere. Scriptura enim est os Dei, Esa. 31, 1. est fundamentum & columna fidei nostræ, ut loquitur Iren. Ad quam eundem in examinatione doctrinarum primò & principaliter, an doctrina sit conformis sacre scripture, tam in se, quàm in modo & traditione, habet Gerson de examin. doct. part. 2. confid. 1. Id quod declaratur autoritate Dionysii, dicentis in sentent. Nihil audendum dicere de divinis, nisi quæ nobis à Scriptura sacra tradita, ut quæ regula sufficiens & infallibilis pro regimine totius Ecclesiastici corporis & membrorum in fine mundi. Est igitur talis ars, talis regula vel exemplar, cui se non conformans alia doctrina vel abjicienda ut hæreticalis, aut ut suspecta & impertinens ad religionem prorsus est habenda.

20. Et ratio à testimonio: sic enim scriptum est per Prophetam. Ubi per synechd. gen. intelligitur Micheas, qui vixit ante natū Christum 780. annis. Micheas verò gratissimus fuit pientissimo Regi Hiskia, Jer. 26, 19.
Micheas

*Michæam citat plebs Iudæa, Joh. 7, 42. quia
 Christus ipse eum allegat, Matth. 10, 36. Quid
 autem aliud hic significavit divina providen-
 tia, nisi apud Iudæos solas divinas literas re-
 mansuras, quibus gentes instruerentur, illi ex-
 cœcarentur: quas portarent, non ad adjutori-
 um salutis suæ, sed ad testimonium salutis no-
 stræ, habet August. serm. 30. de temp. Hero-
 des ergo & Hierosolymica Christum Dominum
 non ignorantes, sed scientes contempserunt, ait
 Chrylost. hō. 42. in Epiph. Aliis demonstrato
 vitæ fonte, ipsi sunt mortui siccitate, factiq; sunt
 eis tanquam lapides à miliario, qui viatoribus
 ambulanti- bus aliquid ostenderunt, sed ipsi soli-
 di atq; mobiles remanserunt. Felix potius in-
 fantum ignorantia quos Herodes persecutus est
 territus; quam istorum scientia, quos consu-
 luit perturbatus. Illi pro Christo potuerunt pa-
 ti, quem nondum poterant confiteri: isti docen-
 tis non secuti sunt veritatem, cuius nascentis
 potuerunt nosse civitatem, habet August. ser.
 34. de tempore. Atq; ita impii quoq; propter
 intentionem & voluntatem suam veritatem
 fatentur: Bileam Num. 23, 7. Saul, 1. Sam. 1,
 10. Caiphas. Joh 11, 1. Quin exinde satis firmi-
 ter colligitur Messiam esse exhibitum, nam
 Bethlehẽ istud funditq; ante multa secula ever-
 sum est.*

21. Et allegati confirmationem v. 6.
 In quo per ~~verba~~ *Compositum* recitantur verba
 Prophetæ, ubi appellatio; & tu Bethlehem.
 Ubi quidem Evangelista aliter scribit, ac est
 in Michæa: quia debebat scribere responsionem
 Judæorum Herodi factam. Herodes autem erat
 alienigena, & ignorabat Scripturas Prophe-
 tarum, & ideo Scribæ aliqua verba in autoritate
 Scripturæ mutaverant, ut planius regi loque-
 rentur: tamen eandem sententiam tenuerunt.
 Bethlehe quidem antiquitus vocata Ephrata,
 sed quia Herodes ignorabat historiã, non dix-
 erunt Ephrata, quia nescivisset quid esset dictũ,
 sed dixerunt: Tu Bethlehe Juda, inquit Lyra.

22. Et comparatio, continens com-
 mendationem ab imparibus, ubi negatio:
 nequaquam minima es in principibus Ju-
 dæ. Sen inter præcipuas & maximas civitates
 Judææ. Parva quidem erat respectu ædificiũ,
 quemadmodum Propheta locutus; sed mini-
 me parva respectu Christi inibi nati. Unde
 Bernh. O Bethlehem! ut parva es, sic magnifi-
 cata es: magnificavit te, qui factus est in te, na-
 tus gloriosus in te, hinc ubiq; gloriosus dicitur
 de te, ò civitas Dei. Ut discamus veram ur-
 bis magnificentiam, non ambitus amplitudine,
 nec ædificiorum pomposa structura metiendã
 esse.

esse. *Hæc civitatis laus est, habet Chrysoft. hom. 4. de verbis Esa. nō quod Senatū habet, non quod consules numerare potest, neq; quod statuas copiosas, neq; quod mercium copiam, neq; quod sium habet commodum: sed quod populū habet audiendi studiosum, quod templa Dei differta, quodq; congregationis delicia magis ac magis crescunt indies, quodq; sermonē habet profluentem, desiderium nunquam satiabile, siquidem civitas non ab edificiis, sed ab inhabitantibus admiranda redditur.*

23. Et per rationem affirmativam, cuius demonstratio: ex te enim exhibit Dux. *Hoc est Messias, qui apud prophetam Moschel sive dominator vocatur. Oportebat siquidem condescensorio, & humiliore sermonis ingressu institui predicationis exordia; ne tanti adhuc mysterii animos rudes subito facta veritas in scandalum concitaret. Idcirco ea, quæ magis ad salutem eorū pertinent, predicantur, ut ad suscipiendum interim regem sibi beneficio vlsandiente concurrant, ait Chryf. hō. 7. in Matth.*

24. Et declaratio ab officio: qui regat populum meum Israel. *Hoc est, gubernet & pascat, uti habetur apud prophetā; non tyrannidem exerceat vel devoret. Alii enim reges, non pastores, sed lupi sunt. Quidam im-*
puden-

prudenter audaces ajunt, de Sorobabele hac fuisse
 predicta: Sed qua tandem ratione istud defen-
 ditur? quia non in Judea, sed in Babylone ortus
 docetur. Unde etiam ipsum nomen accepit, ait
 Chrysoft. Confundimini ergo Judaei, Christi
 inimici exclamat Aug. contra judaeos c. 18.
 qui lucernam legis in manibus habentes, alii lu-
 men praebeatis, & vos in eam intendere non cu-
 ratis, sed exspectatis quidem, ad vos ut veniat,
 qui venturus est; & veniet, sed non sicut vultis,
 veniet. Veniet excelsus ille, qui a vobis interfe-
 ctus, nullius criminis reus: manifestus veniet
 Deus, & videbitis judicantem, quem vos con-
 tempsistis miracula facientem.

25. In specie est clancularia Herodis
 indagatio v. 7. In quo tempus: tunc. Ubi
 nimirum Herodes informatus de loco nativita-
 tis sine cunctatione. Ut discamus impiorum
 in callidis consiliis sedulitatem.

26. Et effectus, in vocando: Herodes clam
 vocans Magos. Noluit enim ut emanaret in
 vulgus, quod responsum a Sacerdotibus. Occulte
 vocat, inquit Chrysol. 158. qui palam nihil
 audet, simulata mens, conscientia dolosa; occul-
 te vocat Magos, quia fur amat noctem, latro in
 occulto tendit insidias. Ut discamus plerumque
 quae clam sunt esse suspecta.

27. Et interrogando: perquisivit ab iis tempus apparentis stellæ. Tempus ergò inquiri non pueri, sed stellæ; & crudelissima venationis avidus, multò cum ambitu tendit insidias. Unde colligitur consequenti ratione, habet Chrysoft. stellam ipsam ante multum apparuisse tempus: quia enim Magi plurimè erant longinquitate itineris remorandi, neq; poterant mox nato puero assistere, quem, ut mirabilius rei dignitas eluceret, pannis adhuc infantia colligatum oportebat adorari, ante multum tempus eum stella demonstrat.

28. Tum calida Herodis informatio v. 8. in quo mandatum quoad locum: Et mittens illos in Bethlehem. Secundùm informationem Sacerdotum, ut illuc turba inscia proficiscatur. Ita Magi toto corde natum regem querunt, ideoq; etiam inveniunt. Ut discamus toto corde credere, quò inueniam? Deut. 4, 29.

29. Quoad modum: dixit, euntes diligenter explorete de puero. Non euntes, dixit, de rege nato, sed de puero. Ita nomen potestatis inviderat, habet Chrysoft. Et quidem vult ut explorent studiosissimè. Ut discamus eundem in singula accuratè inquirendum esse.

30. Et postulatum, quoad conditionē: cum verò inveneritis, renunciate mihi.

Non

Non vult ut subditis, ne illi tumultuentur; sed mihi dixit, qui insidiabatur.

31. Et quoad finem: ut & ego veniens adorem eum. Ita simulavit sollicitudinem, ut eclaret deceptionem; non enim adorare, sed perimere Deū cogitabat, habet Chrysoſt. hom. 42. in Epiph. Considera ergo vecordiam ſingularē. Si enim prophetia ipſi crediderat, eamq; non fictam putabat, clarū erat, illum adverſus impoſſibilia conari. Si verò minimè credebat proventura eſſe, quæ antea prædicta ſunt, nec ſibi timere potuit, nec puero inſidiari. Devotionem tamen promittit, ſed gladium acuit, malitiā cordis depingit, ait gloſſ. ord. Ut diſcamus, non ſemper fidere prolixis pollicitationibus, potiſſimū aulicorum.

32. Tūm eorum Bethlehemi pertractio, ubi occurrit ipſorum abitus, cujus eſt notanda ſuſcepti itineris continuatio propter ſtellæ apparitionem v. 9. In quo effectus per cauſam impulſivam: Illi autem audientes regem, profecti ſunt. Charitas enim cum ſuſpicax non ſit, nec malum cogitat, ſed omnia potius credit & ſperat, 1. Cor. 13. 7. Hinc etiam Magi nihil mali ſuſpiciantur, præ multa erga regem reverentia. Proſiſcuntur itaq; nihil horum peritus ſentiētes, ſed propria

simplicitate mentis etiam ceteros aestimantes,
ait Chrysoſt. hom. 7. in Matth.

33. Et obiectum, est inopinata stellæ
apparitio, ubi præmittitur particula atten-
tionis: ecce. Quia disparuerat & aliquando
fuerat abscondita, ut amittentes subito itineris
sui ducem, interrogare de puero Indæos coge-
rentur, habet Chrysoſt. Hinc manifesto datur
intelligi, quoniam humanum flagitantes consi-
lium, diuinum amittere ducatum & conuersos
ad terrenum documentum cœleste signum de-
seruit, ait Bernh. serm. 3. in Epiph.

34. Et exponitur factum: stella quam
viderant in oriente, antecedebat eos. Non
tantum ergo apparet Magis, sed præbet se etiã
itineris ducem. Neq; ibat propter Magos tan-
tum modo, sed præibat quodammodo apprehen-
sa manu trahens eos viamq; demonstrans, lu-
cente prorsus die, ac sole rutilante. Ambulante
Mago, inquit Chrysol. hom. 156. ambulat
stella; sedente Mago, stat stella; Mago dormi-
ente excubat stella: & stellam iam non Deum
credit, sed iudicat esse conseruam, quam cernit
taliter suis obsequiis mancipatam.

35. Et quoad terminum: usq; dum ve-
niens staret supra, ubi erat puer. Atq; adeo
ferè cœlestem magnificentiam præ se fert, quod
supra

supra domum, in qua Maria cum puero erat, consistit. Hinc procul dubio Magi, habet Chrysol., quoq; incrementa fidei ceperunt. Ita tentatur fides, sed tamen postmodum confirmatur. Diabolus enim, ut verissimè pronunciauit Chrysol. ser. ii. de jejuniis & tentat. Christi, semper bona primordia pulsat, virtutum rudimenta tentat, sancta in ipso exortu extinguere festinat, sciens quòd ea subvertere fundata non possit. Tu verò, monet Aug. ser. de verb. Apost. semper profice, noli in via manere.

36. Et propter exultationis insinuationem v. 10. In quo causa: Videntes autem stellam. Eam ipsam, quam antea viderant. Ut discamus si regredimur in viam, quam nobis monstrat Deus, iterum habere apparentem, non lucem, sed ducem.

37. Et effectus, qui describitur à quantitate: Gavisi sunt gaudio magno valde. Se videlicet ex tot eluctationibus & fidei impedimentis extractos. Et sane gaudio gaudet, qui propter Deum, qui verum gaudium est, gaudet habet gloss. ordin. Revera enim illud ex sententia Bernh. ep. ii. 4. verum solatium & solū gaudium est, quòd non de creatura, sed de creatore concipitur.

38. Et pueri inventi adoratio v. 11. In

quo antecedens quoad locum : Et ingressi domum. Super quam scilicet stella stetit: fuitq; stabulum, in quo natus; ut ita totum denotetur pro parte. Quamvis Theoph. arbitretur postea eos invenisse domum, sed verisimilius est, & admirabilius fuisse illam ipsam, in qua stabulū.

39. Quoad objectum, respectu regis: Invenierunt puerum. Atq; ita, quem fulgentem in stellis querebat Magus, in cunis reperit vagientem, habet Chrysol. ser. 140. Magnum sacramentum: in praesepi tunc jacebat & Magos ab oriēte ducebat, ait Aug. ser. 30. de temp. abscondebatur in stabulo, & agnoscebatur in caelo, ut agnitus in caelo manifestaretur in stabulo, & appellaretur Epiphania dies iste, quod latine manifestatio dici potest: simul ejus celsitudinem humilitatemq; commendans, ut qui in aperto caelo signis sydereis monstrabatur, in angusto diversorio quaesitus inveniretur, invalidus infantilibus membris, involutus infantilibus pannis. Ita circa susceptionis nostrae se temperavit exordia, ut natus Jesus & credentibus manifestus, & persequentibus esset occultus, ait Leo ser. 2. in epiph. c. 1.

40. Respectu matris: cum Maria matre ejus. Quid in eo, inquit Bernh. ser. 3. in Epiph. quod cum Matre parvulus invenitur,
nisi

113

nisi verus homo, & verus hominis filius declaratur? Apparet puer cum virgine matre, ut simplicitatem & verecundiam ante omnia nobis querendam esse doceat.

41. Consequens, continet modū: & pro-
cidentes. Non illis, ait Bernh. ser. 1. in Epiph,
sordet stabulum, non pannis offenduntur, non
scandalizantur lactentis infantia, proci-
dunt, venerantur ut regem, adorant ut Deum. Posi-
tum in praesepio vident, ait August. ser. 29. de
temp. nec apud sensus eorum humilitas nati-
vitas reverentiam divinitatis imminuit.

42. Et effectum in genere, honoran-
do: adoraverunt eum. Nempè in carne ver-
bum; in infantia sapientiam; in infirmitate
virtutē; & in hominis veritate Dominū ma-
jestatis, ait Leo ser. 1. de tolen. c. 2. Aliud ocu-
lis corporis, aliud visu mentis aspiciunt. Hu-
militas assumpti corporis cernitur, sed divini-
tatis gloria non celatur. Puer est, qui videtur;
sed Deus est qui adoratur, habet Chrys. hom.
42. in Epiph. Videbatur quidē in praesepio sed
dominabatur in caelo. Intra corpusculū erat, sed
inter se omnia continebat. Natus quidem ex
matre fuerat, sed matrem suam ipse creave-
rat. Et ita se Magi humiliabant, quia famulari
astra cernebant; Deum enim esse cognoverant.

cui cœlestia serviebant, ait August. ser. 29. de temp. Propterea Bernh. ser. 2. rogo vos, intuemini & videte quàm oculata sit fides, quàm lynceos oculos habeat, diligentius considerate! Adoratio autem non est civilis, sed religiosa, & non sola divinitas, sed humanitas adoratur.

43. Dando in genere: aperuerunt thesauros suos. Non ergò exigui fuerunt, sed magni, thesauri integri, ut preciosa intelligantur, & non vilia presumantur: quemadmodùm orientales reges suos non nisi cum eximiis muneribus terræ suæ peculiaribus à dire solenne fuit: ita Jacob, Gen. 43, 11. regina Saba, 1. Reg. 10, 2.

44. In specie, quatenus Deus primariò: & obtulerunt ei munera, aurum. Ut sacramentum fidei suæ, intelligentiæq; suæ manifestent, quod cordibus credunt, muneribus prestatur, habet Leo ser. 1. Epiph. c. 2. Sicut ergò illi de thesauris suis mysticis Domino munerum species obtulerunt; ita & nos de cordibus nostris, quæ Deo sunt digna promamus. Quamvis enim omnium bonorum sit ipse largitor, etiam nostra, tamen fructum querit industria, ait Leo serm. 2. c. 3. Offeramus ergò sincera & sancta munera Deo. Aurum autem offerunt, ut regem denotent, cum aurum sit inter metalla præstantissimũ; Aurum etiam inter divitias
seculi

seculi videtur excellere. Igitur adoraturi Christum, cuncta ejiciamus ex manibus, si habuerimus aurum, offeramus ipsi, non terre defodiamus. Si enim illi tunc barbari in honorem tantummodo Domini libenter obtulerunt aurum, qualis tu eris, si ei non tribuas indigenti? quaerit Chrysost. hom. 7. in Matth.

45. Et thus: tanquam sacerdoti. Si enim Magi solum aurum, ait Bernh. ser. 3. in Epiph. Dom. vel videri fortasse poterant paupertati matris voluisse consulere: nimirum ut haberet unde parvulum filium posset educare. Nunc autem offerentes pariter thus, sine dubio spiritualis donationis genus insinuant. Et uti per aurum intelligitur omnium honorum hujus mundi relictio, ita per thuris odoramentum orationes & preces sanctorum, Apoc. 5. 8. Quia, uti in auro ostenditur captivitatis nostrae pretiosa redemptio, ita in thure demoniorum superstitione cessatura, & futurus vera religionis cultus aperitur, ait Maximus hom. 3. in Epiph. an.

46. Quatenus homo: & myrrham. Sub cujus specie sepelienda demonstratur humanitas, & carnis nostrae mortificatio figuratur. Inde Cyprian. ser. de Stella & Mag. quod autem passibilitas, quam obediens Deo voluntarie suscepit, in corruptione formata sit virtus
myrrha

myrrha obvians corruptela, suo probat effectu,
 & visibilium ratione munerum, immortalita-
 tis solida constat evidens argumentum. Atqui
 ita oblatio munerum intelligentiam in eo toti9
 qualitatis expressit. In auro regem, in thure
 Deum, in myrrha hominem confitendo. Et ita
 per venerationem eorum, sacramenti omnis
 conformata cognitio. In homine mortis, in Deo
 resurrectionis, in rege iudicis, ait Hilar. can. 1.
 Nos discamus etiam Servatori offerre munera,
 aurum sapientia, cū cor purificamus; thus pre-
 cum, cū pura orationis odore Deum delecta-
 mus; & myrrham patientia, quando hoc mor-
 tale corpus à luxurie putredine conservamus.

47. Et reditus Magorum, ubi remigratio
 v. 12. In quo negativè, quoad causam: Et
 moniti secundum somnium. Ut qui antea
 honoraverant Deum: ideoq; omnes idem ha-
 bent somnium, quemadmodum vox $\chi\eta\mu\alpha\tau\iota$
 $\delta\epsilon\upsilon\tau\iota\varsigma$ videtur innuere.

48. Forma; Ne reflecterent ad Hero-
 dem. Neq; enim poterant per Herodem, id est,
 itinere mortis redire, qui in patriā suā adorato
 Dei Filio cœlestis vite munera reportabant, ait
 Maxim. hō. 4. in Epiph. Nec expedit cum his,
 qui oderunt Deum, fœdera jungere: nec de reli-
 gione cum malignantibus inire consilia, quorū
 fami-

familiaritas infantiam Christi studiosè persequitur, & antequam formetur Christus in nobis, in ipso pia conservationis initio, ut extinguatur spiritus, & suffocetur vita iustitiæ penitus penitus, elaborat. Considera ergò, ait Chryf. hom. 8. in Mat. hoc loco admirabilem Magorū fidem, qui in nullum hinc scandalum commoventur, sed ad cuncta obediētes permanent, neq; ipsi secum retrahant, dicentes: si magnum quiddam hic esset puer, & potentia aliquid obtineret, nobis adoratoribus quid opus esset fuga occultusq; discessus? cur nos, qui palam & libere venimus, quasi reos quosdam atq; fugitivos angelus civitate propellit? verum nihil omnino horū tale vel ore proferunt vel mente concipiunt. Ut discamus non omnia somnia esse vana.

49. Affirmativè, quoad medium: per aliam viam reverterunt. Oportebat enim, ut jam in Christum credentes non antiquas conversationis semitas ambularent, sed novam ingressi viam à relictis erroribus abstinerent, ait Leo ser. 3. in Epiph. c. 3. Et qui à Diabolis venit ad Deum, nunquam debet per illam viam ambulare, per quam venit ad Diabolum. Venisti per viam fornicationis? habet Chrylost. hom. 2. oper. imperf. in Matth. ambula de cetero viam castitatis: venisti per viam avaritiæ? ambula de cetero per viam eleemosynarum. Si
antem

Si autem per ipsam viam redieris, iterum sub regnum Herodis vadis.

50. Quoad terminum: in regionem suam. Ex qua nempe venerant. Ita & nos, non qua venimus, sed per aliam viam in patriam redire debemus, monet Aug. l. 4. de Trin. c. 12.

N O T A E.

I. **V**iderunt stellam) Considera etiam doctos vocari & gentiles; ut discas Deum vocare omnes.

II. **P**rocidentes, adorarunt) Considera Magos supplices prius adorare, deinde offerre; ut discas primum credere, deinde bona opera prestare.

III. **P**er aliam via reversi) Considera per aliam viam regressos esse Magos in patriam; ut discas eternam si vis gloriam inire, per aliam viam, preter eam, que ducit ad gehennam, ire.

C A S U S.

An Astrologia iudiciaria omnino improbanda?

Viderur 1. quia Deut. 4. 19. Lev. 19. 31. Jer. 10. 2. Esa. 44. 25. & 47. 13. 41. 21. Dan. 2. 21. vanitas astrologica taxatur & improbat. 2. iura

2. Jura improbant, l. 3. C. de malef. & Math.

3. Rationes collegit Ambros. lib. 4. hexaëm.

c. 4. quia necessitatem introducit; neq; premia bonis, neq; improbis supplicia deberentur, si necessitas faceret disciplinam. Etiam impossibilis est observatio momentorum natiuitatis. Unde & hoc in loco viderunt quidem stellam Christi, sed locum ignorant & fatum.

Non videtur: Quia 1. expressè hoc loco Magi per stellam ducuntur ad Christum, dicuntq; se stellam vidisse ejus regis novi nati, Matth. 2, 2. Et quemadmodum Petrum piscatorem à multitudinè piscium ad nomen Christi venatus est, & stupere fecit, sic Deus Magos familiare ipsis signo adduxit, ait Theopyl. in c. 2. Matth. ex hom. 6. Chrylost. super Matth.

2. Deus sydera fecit ut sint in signa, & tempora Genes. 1, 14. eorundemq; in hac inferiora influxum innuit, Luc. 12, 54.

3. Nemo pius contra Ecclesiam, nemo sobrius contra rationem & experientiam, ait Aug. lib. 4. de Trin. c. 6. Hec verò testatur influxum in sublunaria in satione & plantatione, &c.

4. Luth. tom. 1. in Gen. inquit: Astronomia non planè contemnenda: versatur enim tota in observatione & consideratione divinorum operum, quæ dignissima cura hominis. Et paulo post: Astrologicis predictionibus si quis defen-

defendat minus pertinaciter non valdè repugnans Jacob. Martini in speculo rationis.

Ad contraria: 1. In Scriptura sacra improbat Astrologia vana, quæ nos à Deo ad creaturas deducit, & in rebus spiritualibus regulas nature præscribere conatur; uti Albumasar de orat. tradit si quis Lunam existente propè caput Draconis & Iovem oraverit, exaudiri. Haly ad circumcidendum & baptisandum infantem, ubi Venus elevata supra Lunam, absq; aspectu Saturni statuit: uti loca, si consulamus, expressè docent. Loquuntur de veneficis mulieribus, Exod. 22, 18.

Ad 2. Iura improbant maleficos Mathematicos: particula enim & ibi est explanativa. Unde & c. si quis artem. 37. dist. probatur.

Ad 3. Patres itidem de vana & non de sana loquuntur. Nam ista non tollit libertatem voluntatis, dum astra tantum inclinant, & non necessitant, quatenus mores sequuntur temperamentum, & quatenus influunt motu, lumine, suntq; naturales predictiones & generales, non supernaturales. Neq; tamen omnino predictio omnis felicitatis, vel comminatio infortunii hominem turbat, aliàs etiam predictio Iacobi filii idem præstitisset. Paucis: Superstitiosam improbamus, non judiciosam. Videatur Balduinus in casibus conscient. lib. 3. c. 6. c. 2.

Velle placere D E O satis est laudata vo-
luntas

Si desint vires: velle probatq; Deus.

Ex oriente Magi voluerunt, inde profecti
Sunt Solymas, Iesus natus ut ipse foret,
Dicunt: est ubi rex? nos vidimus ejus in ortu
Stellam: venimus ut quisquis adoret eum.

Audit ut Herodes, animum formido fatigat;
Quin urbis Solyma tota caterva rimet.

Pontifices vocat Herodes, contatur ubinam
Messiae patria debeat esse locus?

Tunc illi referunt Bethles nascetur alumnus,
Ceu quondam vates scripsit & ore tulit:

Bethlem Iudaea non est mihi postuma, quippe
Dux ex quo populum, qui regat, ipseus erit.

Herodes vocat inde Magos, perquirat ab illis
Visa, fiet quonam tempore stella tamen?

Post jubet ire Magos Bethlen: & quae rite, dicit,
Vos puerum: supplex huic simul ipseus ero.

Rege sed audito, migrant: fit praevia stella,
Statq; super, cubuit quo puer ille, locum.

Hanc ut viderunt, pertentant gaudia mentē,
Dum lucem cernunt rursus adesse ducem:

Inveniunt puerum, quem poples adorant eorū,
Aurum, thus, myrrham, munera datq;

manus.

Herodem, monet oraclum, ne rursus adirent
Rellegerent alias patria tecta vias.

Sic

*Sic omnis puero sua munera praestet : in auro
Nempe fidē, myrrhā sub cruce, thura prece.
Ista GEWILLETI praestat devota voluntas.
Pergat ! vult simul hoc velle beare Deus.
ita testatur GUEINZIUS.*

*St. Felix Magus ille cui voluntas
Ede suis sua dona ferre Christo,
Ast felicior ille cui voluntas
se totum Domino sacrare velle.
Felicissimus ast Magus futurus
in Christo stabili, piāque mente
permanere, cui est tenax voluntas,
GEWILLET9ut hęc probans recenset
nobis munera, quæ sient Magorum.
In cœlis Magus audietur, atque
in terris capiet suprema dona.*

JOHANNES Blumenthal H. M.

*Munera non perdit qui tradit munera
Christo,*

*Reddere dum Christus munera magna solet:
Munera sic Christo donavit Triga Magorū:
Quæ Christi queris ? tua redire dedit.
Sic GEWILLTUS Christo dat munera sancta
Sanctum dum verbum tradat & ipse colit.
Hęc pergat ! Christ9 lectissima munera reddet,
Ac tandem cœli munera summa dabit.*

CONRADUS Struvius Calbā-M.

02 A 572
(1/2)

ULB Halle 3
003 808 483




1017

EVANG.

CHRIST

HALL

Q2 C



B.I.G.

Farbkarte #13

IVITIARUM
GELICARUM
STIVALIUM

Disquisitio V

PRÆSIDE

IANO GUEINZIO

nnasii Hallensis

Rectore

Respondente

DO GEWILLETO

albâ-Marchico.

esto Epiphaniæ.

O.R. cl. lcc. III.

LIS SAXONUM.

eredum Melchioris

Oelschlegely.

Melchior H. P.

